

etiam postquam sublatis fuerint ab oculis, semper habeat in mente, ut animas, pro quibus quotidie Pastores omnia impendunt et seipsos superimpendunt, etiam post praesentem vitam sedula prosequantur sollicitudine, quam maxime adhortandi sunt. Ad rem, opportuniori in loco, pastorales industrias recolebimus¹. Sacri haec audiantur canones.

I. Loca fidelibus humanis apta, sunt hodie benedicta, vel consecrata, videlicet, ecclesiae parochiales, ecclesia cathedralis, ecclesiae regularium, oratoria publica, coemeteria sive publica, sive privata legitime concessa.

II. Priusquam in ipso sepeliantur fideles, coemeterium ex integro, vel saltem ex parte, debet per Episcopum, vel per sacerdotem, ex delegatione apostolica ab ipso deputato, consecrari, vel per Ordinarium aut per sacerdotem ex delegatione episcopali benedici.

III. Coemeteria, utpote loca sacra, iisdem ac ipsae Ecclesiae privilegiis et immunitatibus de iure fruuntur.

IV. Quemadmodum Ecclesia, ita et coemeterium, iisdem de causis execratur et polluitur, eodemque modo, per legitimam auctoritatem, reconciliatur. Polluta Ecclesia, eo ipso et coemeterium polluitur, non autem vicissim. Ubi frequentioris pollutionis aut execrationis periculum imminet, expedit, toties quoties, singulari benedictione christifidelium sepultura, immediate ante tumulationem, benedici².

V. Coemeterium pluribus parocciis commune, unicuique proprium censetur, et ius ducendi ad illud sine pompa cadaver tumulandum, illis semper competit quibus, non exstantibus coemeteriis, sepeliendi ius foret.

255. — At vero his omnibus quae de sacris sepulturis ac coemeteriis recolimus, gravia, persaepe, a publica Potestate obijciuntur obstacula. Haec, enim interdum [ne dicam fere semper] ecclesiasticas posthabendo leges, non tantum in foro, sed etiam in choro eiusque adnexis, sese immiscere per fas et nefas, omni nisu, contendit³. Hac ratione quae sacra esse debent coemeteria, prophanis in conventibus immutari, sacrasque funerum processiones in laicales pompas perverti, sacri ritus ordinem ac rationes, conturbari, gemendo conspicimus! Pastor, igitur, bonus, Ecclesiae iurium doctus strenuusque curator, quantum fieri potest, his omnibus sedulo obsistat, et ad hoc [dum circumstantiae sinunt] bonas cum laicalibus Potestatibus fovere relationes, sanas in re parociae consuetudines servare, et praesertim, haec quoque, in omnibus ac per omnia ad Episcopi nutum esse, plurimum iuvabit. In tanto, enim, ecclesiasticarum personarum ac rerum ubique invalescente contemptu, Pastoris zeli, caritatis, prudentiae ac Ordinario suo obedientiae nunquam satis, ne tum a propria pusillanimitate, tum ab aliena protervitate, sacrosancta impraescriptibiliaque Ecclesiae iura, misero in modo, lacescentur!

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Defuncti*.

² S. R. C. 19 maj 1896.

³ Pro Italia, cfr. Giovanelli, *Op. cit.* XXXVI; Calchi-Novati, *Op. cit.*, Lib. III, Cap. 5.

III

Quoad administrationem spiritualem in specie

CAP. I.

DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.

Deus ac Redemptor Noster Jesus Christus ut nostram fidem exercent pietatemque alat, gratiam quam in Crucis Ara nobis meruit, per Novae legis Sacramenta in nos derivari voluit. Invisibilium quae Spiritus Sanctus operatur in nobis, visibiles formae sunt, omnisque vera iustitia per ea vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Enimvero septem Novae Legis Sacramenta, totidem, Salvatoris fontes sunt, unde salutis aquae, in vitam aeternam salientes, in suorum fidelium bono, Pastores hauriunt; spiritualem alimoniam simul ac medelam, pro vario hominis statu et multiplici morbo [ab ipso vitae exordio, usque ad extremum accommodatam agonem] continent, et gratiam quam significant, fidelibus ritis dispositis, conferunt.

Articulus I.

DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE IN GENERE.

§ I. — Quae in re praesertim recolenda veniant.

SUMMAE RERUM. — 256. Pastorales ac practicae ad rem regulae proponuntur. — 257. Conclusio.

256. — Antequam de singulis Sacramentis dicamus, quaedam in re, generali ratione, praestituenda sunt, quae in eorum administratione Pastoris sollicitudine ac diligentia continentur. Ad rem:

a) Quotiescumque sacri temporis ratio, vel spiritualis animarum necessitas urget poscitque, nulla interposita mora, nulloque proprii commodi habito respectu, facilem semper ac paratum se praebeat Pastor. Haec, igitur, mussitationes irrationabilesque procrastinationes nullae sint; quum non sua, sed quae, in spirituale fidelium bonum sunt, curare debeat. Enimvero:

1. Haec sollicitudinis diligentiaeque obligatio ex ipsius pastoralis muneris natura exsurgit. Pastor, enim, ac sacerdos dicitur, cui sacra peragere ac fidelium morbos languoresque curare pro-

prium est. Quare de alicuius sacramenti administratione Pastor requisitus, petentem uti iure suo, et petere ab eo qui dare tenetur, ipse recogitet; qui, si nulla legitima intercedente causa, petita deneget, vel dilationem interponat, iustitiae leges labefactat, et se ipsum culpa non modica implicat.

2. Si sacramentorum administrationem Pastor negligit, maximam Christo Servatori iniuriam irrogat, qui Sanguinem Suum in nostrae salutis pretium tam largiter effudit, ut sanctos eius effectus abundantius fideles sentiant. Quo fit ut qui manantes nostrae salutis fontes coercere contendat, idem sit ac si immensam Dei liberalitatem coarctaret, et quantum in se ipso est, eius misericordiae flumina quoque exsiccare conaretur.

3. Ex sacramentorum negligentia gravia spiritualia fidelibus obventura damna sedulo Pastor consideret. Aegrotus, enim, vel luctans postulator est, qui sui morbi curationem vel in perarduo aeternae salutis bello, spiritualia adiumenta requirit, quae si deficient, mors aut clades pertimescenda sunt. In eius, igitur, auxilium, sollicite accurrat Pastor bonus, qui negligentiam haud poenitens, muneris sui officia tum apud Deum, tum apud homines rite adimplebit. Sacramentorum, enim, administrationis neglectum unam ex a paroecia remotionis causis esse, jam vidimus¹.

4. Sed ad hanc adhibendam sollicitudinem, et caritas Pastorem urgebit quam maxime, qua incitante, non tantum debita, sed et congruentia adeo fidelibus praestabit, ut sacramentorum postulatione haud contentus, et sponte utroque ad ea administranda se paratum exhibebit. Multum, enim, facit Pastor qui multum amat, et quodcumque animabus prodesse iudicat, id totum sibi esse officium existimat. Falsae fugacisque pulchritudinis amatores, aliquam occasionem personae dilectae inserviendi praetermittere indignissimum ducunt, et cuiuscumque etiam modici lucri occasionem negotiatores non contemnunt. Saltem eadem prorsus ratione quoties animas iuvare possit Pastor se gerat; vocatus veniat, non vocatus alios vocet, qua ratione illud Apostoli coram Domino ingeminare poterit: *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant*².

b) In sacramentorum administratione aequali affectu, diligentia, ac sollicitudine omnibus succurrat Pastor bonus. Enimvero si aequaliter omnium Pater est, et de omnibus Deo rationem

¹ Cfr. Decret. *Maxima cura*, pag. 217, can. 1, n. 8.

² *Ad Roman.*, X, 20.

redditurus, non uni magis quam alteri adesse, non unum fovere, alterum vere despiciere ipse potest. Idcirco apte lucernis quae, super candelabri cacumine positae, lucem aequae omnibus diffundunt, soli qui omnes aequae illustrat, nubibus quae in omnes tum pauperes, tum divites suas pluvias mittunt, sacerdotes Pastoresque comparantur. — Ad hanc aequalitatem servandam, tam pro homine rusticano, quam pro divite, Christi Sanguinem effusum fuisse, ac si ipsi pereant eandem gehennam idemque supplicium aeternum utrisque manere, cogitare, quam plurimum proderit.

c) In Sacramentorum omnium administratione, quamcumque avaritiae suspicionem Pastor caveat, qua et eius externa sollicitudo, tanta infecta labe, non apostolatus, sed versuta negotiatio a fidelibus haberetur. Enimvero quam sacramenta venalia et uti quaestuosam quasi mercem habere, nil in pastorali regimine iniustius ac iniquum magis! Vae! Pastori qui adeo perversa foveat sensa et, multo magis, paroeciae huiusmodi commissae publicano, vae!

d) Sacramenta ea reverentia, decore, gravitate, liberalitateque administret Pastor, quae illorum dignitati maiestatique respondeant. Haec vero omnia non tantum in interiori quodam consistunt affectu, sed et in exteriorem corporis compositionem ac vestium nitorem, necnon in canonicarum ac liturgicarum praescriptionum omnium sedulam observantiam sponte sese produnt. Harum, enim, omnium observantiam, ad maiorem cultum et sacramentorum venerationem multum conferre, ignorat nemo. Propterea in Veteri Lege non minus de caeremoniarum custodia, quam de ipsa sacrificiorum institutione tam sollicitum se praebuit Deus, qui praecepit Moysi: *Custodi caeremonias quas ego mando tibi; cave et conserva ne quando obliviscaris Domini tui, et negligas caeremonias quas ego praecipio tibi*¹. Quoad externum vero habitum canones iubent:

I. In omni seu sacramentorum, seu sacramentalium confectione et administratione, tam in propriis quam in alienis quibuscumque ecclesiis, utendum semper est superpelliceo et stola; retento tamen quod *Rituale Romanum* docet circa poenitentiae sacramentum, de quo infra, loco suo, dicemus².

II. In iisdem sacramentalibus ac sacramentis conficendis administrandisque usum cappae, mozzettae vel caputii, quibus ius est in propria tantum ecclesia permittitur, dummodo super illud superpelliceo ac stola induantur. Coram Pontifice vero minime licet³.

¹ Deuter., VII, 11.

³ Id. Ibid.

² S. C. R., jul. 1892.

III. Eodem modo nefas est Parochis stolam induere super rochetum aut superpelliceum sed mantelletta contextum, quoties sacramenta administrant¹, non obstante vetere consuetudine².

e) Sed ut haec sollicitudo reverentiaque in Sacramentis administrandis rite serventur, necesse est ut adeo sancte Pastor vivat ut, momenti singulis, ea digne praebere possit, ne dum alios lavat, semetipsum contaminet, dum alios purgare studet, manibus illotis peius inficiat, dum alios curat, semetipsum feriat. Idcirco quantam in sacerdotibus antiquis puritatem requirebat Deus, et quam exosum sacerdotem indigne sacra tractantem haberet, sua in mente cogitet recogiteque Pastor bonus. Si itaque hircorum ac taurorum sanguinem immolaturus, maculae omnis expers esse debuit, qui tam sancta contrectat Sacramenta, quanta cordis puritate nitere, quantum, sibi mali conscius, tanta contingere sacra, ne a Deo puniatur, horrere debet. — Ne, igitur, amaram illam Pastor reprehensionem mereatur: *Medice cura te ipsum*³ et ut, e contrario, cum Servatore Nostro ingeminare possit: *Sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati*⁴, propriae spirituali saluti quam maxime studeat. Itaque, ut ab omni peccato mortali immunis et saltem vere contritus ad sacramentorum administrationem accedat, ut in virtutum omnium exercitio adeo firmetur, ut absque proprio periculo, coeterorum saluti incumbere possit, ut non nisi praemissa oratione ad tanta ministranda sacramenta accedat, ac tandem, ut internum animae frigus et ignaviam omnino deponat, hominum timorem, animi demissionem anxietatemque excutiat, quam maxime curabit. Tunc, enim, tantum Divini Salvatoris legatione fungens, Pastor quoque redivivus Salvator erit.

257. — Hisce aliisque facile subaudiendis argumentis omnibus fretus tam sollerter, diligenter ac digne ad Sacramentorum administrationem Pastor accedat, ut fidelium suorum angelus custos ac solator in omnibus ac semper celebrari possit. Sed ut ad peculiariora Sacramenta deveniamus oportet.

¹ S. N. C. in *Laudens*, 23 jun 1892.

² Id. in *Adiacens*, 25 sept. 1882 — Cfr. S. R. C., 16 april. 1831, 25 sept. 1882, etc.

³ *Luc.* IV, 23 — Cfr. Chrysost. *De sacerdotio*, lib. II 8.

⁴ *Joan.* XVII, 19.

Articulus II.

DE BAPTISMI, ORDINIS ET CONFIRMATIONIS SACRAMENTIS.

§ I. — De Sacramento Baptismi.

SUMMAE RERUM. — 258. Animadversiones praeviae. — 259. Quae in re canonica praecepta sint — 260. De quibusdam in baptismi administratione prae oculis habendis industriis.

258. — Sacrum Baptisma, christianae religionis aeternaeque vitae ianua, quod inter alia Novae Legis a Christo instituta Sacramenta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, Veritas Ipsa illis testatur verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*¹. Ad illud, itaque, opportune riteque administrandum summa adhibenda est diligentia, quae tum canonicis, tum pastoralibus normis obtineri potest.

259. — Canonica in re principia² sic accipe:

I. — Materia baptismi est ablutio, ut plurimum, directa [non per instrumentum³] corporis per aquam naturalem⁴, et quidem [ad liceitatem] in baptismo solemniter, per illam in sacro fonte vigiliis Paschatis et Pentecostes benedictam⁵; quae ablutio cum pronuntiatione formae coniungi debet. — In necessitatis casu, valide et licite conferri potest cum aqua permixta solutione millesimae partis bichlorati hydrargyrici⁶.

II. — Quoad formulam Baptismi in quocunque idiomate, quatuor exprimat, nimirum: a) personam baptizantis; b) personam baptizati; c) actionem ministri; d) distinctam invocationem trium personarum SS. Trinitatis earumque unitatis in natura⁷. Quae omnia in nota formula in Ecclesia latina adhibita [et in *Rituale* contenta] adamussim inveniuntur⁸.

III. — Ordinarius in sua paroecia, iure ecclesiastico, baptismi minister Parochus est, et nemo, nisi ad universalitatem causarum deputatus, absque sua delegatione hoc praestare potest. Necessitatis causa, persona quaelibet, etsi mulier⁹, ratione utens, dummodo sufficientem adhibeat materiam et formam ac facere intendat quod facit Ecclesiam, huius sacramenti legitimus minister est¹⁰.

¹ *Ioann.*, XIII, 5.

² Cfr. Deshayes ac. D. D. cit.

³ S. C. R., 16 jul. 1901.

⁴ Cap. V. *De Baptismo*, X, III, 42; Trid. VII, can. 2.

⁵ Rit. Roman. 4 *loc.*

⁶ S. Offic., 21 august. 1901.

⁷ Suarez, *De Baptismo*, disp. XXI, 2; S. Alphons., VI, 108.

⁸ Cfr. S. P. F., 22 mart. 1631; S. U. I., 22 maj 1871; S. C. C. in *Brixians*, 11 febr. 1797; in *Santandrian*, 11 jul. 1801; in *Senens*, 16 aug. 1828.

⁹ S. U. I., 20 aug. 1671.

¹⁰ Cfr. S. R. C., in *Mariann*, 10 febr. 1888; S. C. P. F., in *Concinens*, 16 febr. 1804; in *Sinens*, 21 jan. 1788.